

nendus, totidem pœnè verbis legitur hunc in modum; *Stat igitur firma sententia. Quemcumq; Deus ante conditum orbem elegerit, eum non posse perire, quem vero rejecerit eum non posse salvari, etiamsi omnia Sanctorum opera fecerit, usq; adeo irretactabilis est sententia.*

Prædestinatorum, sententiam Ecclesie esse & firmiter tenendam adferit.

EXAMEN CENSURÆ IN CAPUT VII.

De Peccato & miseria hominis.

SECTIONE I. huius capitis censentur Remonstrantes quod dicant, *Opus Providentiæ, de quo superiori capite egerant, sequutum est opus gratiæ & misericordiæ, cui occasionem dedit peccatum; cum tamen Sect. iv. capitis superioris jam distinxerint in opere Providentiæ curam Dei circa pios & impios, longanimitatem & tolerantiam Dei erga eos in quibus profundius est radicatus habitus peccati, item gratiæ auxilia, Spiritus S. dona, &c. Quomodo, inquit, opus Providentiæ secutum est opus gratiæ, cum providentiæ ista descriptio supponat peccatum, & cum opus gratiæ sit præcipuum salutis medium, salutis autem media sint opera Providentiæ? Potius debuissent (inquit) dicere illud opus divinæ bonitatis, scilicet, Providentiæ, includere omnia opera gratiæ & misericordiæ, illud præcipuè, quod nobis exhibuit in Christo.* Atqui hoc dicunt, mihi Censor totidem verbis. Ubi es? Pudet profectò tam ingentis oscitantia quam in limine huius capitis statim prodire: Videatur tantum initium capitis præcedentis, & res patebit. *Creationem, inquit Declaratio, excipit immediatè actualis Dei providentiæ, quæ (NB) interim se extendit etiam ad opus Redemptionis, ad omniaq; tum sæcula, tum opera, & res quæ in mundo sunt aut fiunt.* Qui hoc dicunt, an non aperte dicunt Providentiæ includere omnia opera gratiæ & misericordiæ, illud præcipuè, quod nobis Deus exhibuit in Christo? Vox, *Redemptionis* id arguit, & voces, *omnia sæcula, omnia opera, & res, quæ in mundo fiunt*: Opus tamen gratiæ secutum cum dicunt opus Providentiæ, nihil aliud voluerunt, quam Providentiæ immediatè adhæsisse Creationi rerum & circa res creatas versatam esse variis actibus, antequam opus gratiæ, id est, opus redemptionis, quæ nova quædam creatio in Scripturis dicitur, & ad Providentiæ propriè non spectat, perageretur, etiamsi deinde, opere isto peracto, ad illud etiam extensa fuerit. Vix credo Censorem hunc, præ censendi aviditate

Magna Censoris oscitantia ostenditur.